



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 3. Vtrum qui coactè rebaptizat, vel rebaptizatur sit irregularis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Cap. Ex
litterarū.

Tertiò, Capitulum quod incipit, *Ex litterarum*. tit. de Apostolis, quo maximè Doctores nituntur. Verùm hoc Capitulum solum penam irrogat Acolyto, qui ministerium exhibuerat: de Sacerdotis autè rebaptizantis pœna nihil dicitur. Nihilominus tamè, quia omnes DD. ex hoc Capitulo colligunt, etiam rebaptizantem irregularem effici, in praxi ita iudicandum est: præsertim cum illa videatur esse mens Pontificis. Vult enim puerum ministrantem esse irregularem, non propter accidentale ministerium cœremoniarum (sola enim cœremoniarum repetitio non inducit irregularitatem) sed quia cooperatur extitit rei nefandæ, id est, rebaptizationis: censetur enim cooperatur repetitionis Sacramenti; sicuti ministrans Sacerdoti Idolis sacrificanti, cooperatur Idololatriæ. Vnde multò magis Pontifex cœsetur velle ipsum Sacerdotem rebaptizantem esse irregularem. Etsi enim in iure, quando de pœnis agitur, non valeat argumentum à simili, quando actiones seu peccata sunt distincta: sæpè tamen valet, quando actio est eadem, & accessorium comparatur ad principale, sicut in proposito.

Quando argumentū à simili quoad pœnas valet in iure, quando non.

37
Notanda quædam circa rebaptizantis irregularitatem.

Hic tamen Notandum est Primò: Hoc crimen debere esse publicum, vt irregularitatem inferat. Ita Panormitanus in hunc locum. Colligitur apertè ex textu: addit enim Pontifex, *Si crimen sit occultum, posse promoueri ad Ordines superiores*. Communis tamen ferè sententia Doctorum est, hanc irregularitatem etiam ex crimine occulto contrahi. Quod si verum est, saltem Episcopus potest in ea dispensare, iuxta cap. 6. sess. 24. Concilij Tridentini.

Notandum Secundò, Hanc irregularitatem non impedire vsu seu ministerium in Ordinibus susceptis, sed solum ascensum ad superiores: vt patet in textu.

Notandum Tertiò, Hanc penam non incurri, quando deest vera intentio baptizandi. Ratio est, Quia qui non intendit baptizare, quantum in se est reuerà non rebaptizat, nec est rebaptizator, sed solum simulat se rebaptizare: vnde illa exterior actio nõ est baptizatio aut rebaptizatio, quia sub hac ratione non est intenta. Sicut, qui retinens animo veram fidem, exterius profert hæresim, non est hæreticus, nec pœnas incurrit. Hinc etiam patet, pœnam hanc non incurri quando sub cõditione rebaptizat; vt rectè Nauarrus c. 27. n. 246: Siue diligentiam ante adhibuerit, vt cognosceret an esset baptizatus: Siue non; quidquid dicat Sotus dist. 3. art. 9. Ratio est, Quia talis verè non rebaptizat; expressè enim intendit non baptizare, si fortè antea sit baptizatus: fateor tamen talem peccare, si antea debitam diligentiam veritati cognoscendæ non præstiterit.

Sub conditione rebaptizans nõ sit irregularis.

DVBIVM III.

Virum hæc pœna incurratur quando intercedit ignorantia?

38
Ignorantia facti, si leuis.

Respondeo & Dico Primò, Ignorantia facti, scilicet an sit adhibitus baptismus, excusat ab hac irregularitate, quando excusat à peccato. Ita Scotus dist. 6. quæst. 8. Dominicus Soto hoc loco. Turrecremata in Capitulum, *Qui bis*. de Consecratione dist. 4. Nauarrus cap. 27. nu. 246. Couarruias in Clementinam *Si furiosus* in principio nu. 8. Probat, Quia hæc irregularitas infli-

gitur propter peccatum, & quidem mortale. Quia quando alicui peccato absolute nominato statuitur pœna grauis, intelligitur peccatum perfectum in sua specie, ac proinde ex sufficienti consideratione & scientia perfectum: ergo hæc irregularitas, cum ignorantia facti quæ non est crassa, non potest contrahi. Ignorantia tamen crassa non excusat; nam peccatum ex illa procedens; est eiusdem rationis, cum eo, quod scienter fit. Et confirmatur, Quia si infans ante rationis vsu bis baptizetur, non fit irregularis: vt colligitur causa 1. quæst. 4. Canone *Placuit*; vbi dicitur infantes ab hæreticis baptizatos posse promoueri ad ordines, & tamen hi ob solam ignorantiam excusantur.

Si crassa.

Sed contrà, Obijcitur Canon *Qui bis*. de Consecratione dist. 4. vbi statuitur, *Vt qui ignoranter rebaptizatur, non subiaceat penitentia, sit tamen irregularis*. Respondeo cum Scoto dist. 6. qu. 8. non debere nos huius Canonis auctoritate moueri, quia non est Summi Pontificis, sed cuiusdam Theodori Episcopi Cantuariensis; vt patet ex lib. 4. decreti Burchardi cap. 51.

Can. Qui bis.

Dico Secundò, Ignorantia iuris humani non excusat ab hac irregularitate. Ratio est; Quia, vt quis incurrat pœnam, non est necesse, vt sciat illà esse statutam (excepta excommunicatione) sed satis est, vt sciat se facere rem illicitam.

Ignorantia iuris humani.

Dico Tertiò, Inuincibilis ignorantia legis diuinæ excusat ab hac irregularitate: vt si inculpate ignores vitia esse baptismi repetitionem. Ratio est; Quia in eo euentu non peccabis Baptismum repetens.

Ignorantia legis diuinæ.

Quæ diximus de rebaptizato in hoc dubio, omnia ferè locum habent in rebaptizante: similiter enim excusatur. Debet enim interuenire peccatum mortiferum in actu rebaptizationis. Vnde probabilis ignorantia iuris diuini, vel facti, excusat. Solum adde, quando ita dubitat de alterius Baptismo, vt licite possit ei sub conditione conferre, non effici irregularem, etsi tunc conferat absolute; vt rectè Nauarrus supra. Ratio est; Quia non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum; vt Innocentius III. ait Capitulo Vnico, de Clerico per saltum promoti.

39
Rebaptizati & rebaptizantis est similis ratio quoad irregularitatem.

DVBIVM III.

Virum qui coactè rebaptizat, vel rebaptizatur, sit irregularis?

Respondeo; Si is, qui cogitur, intendat verè baptizari, vel baptizare secundò: Videtur omnino fieri irregularis. Ratio est, Quia respectu huius intentionis non potest esse vlla coactio, vnde nec excusatio: quare sicuti coactio tunc nullo modo excusat à culpa rebaptizationis, ita nec à pœna. Quòd si desit intentio Sacramenti in conferente, non fiet irregularis, etiamsi actum externum obeat. Similiter si desit intentio recipiendi Sacramentum; is qui circa se patitur illam cœremoniam externam, non fiet irregularis.

40
Si verè intendat.

Dices; Is qui ordinatur ab hæretico coactus vi vel metu, non fit irregularis, etiamsi tunc intentionem recipiendi Ordinis habeat; vt patet Can. *Constat* 1. qu. 1. Ergo similiter is, qui secundò baptizatur coactus, nõ fiet irregularis, quamuis habeat intentionem recipiendi secundò Baptismum.

Si non intendat.

Respon-

Respondeo Negando Consequentiam: Quia hic, cum sit semel baptizatus, non est amplius capax Sacramenti Baptismi; ille vero, cum non sit ante ordinatus, est capax Ordinis.

DVBIVM IV.

Quando licitum sit baptizare sub conditione?

Respondeo, & dico Primò, Quando moraliter constat de externo Sacramento; & nulla est probabilis ratio dubitandi de intentione ministri, non licet sub conditione iterare. Est communis Doctorum recentiorum. Vide Sorum dist. 3. ar. 9. ubi etiam reprehendit consuetudinem Parochorum, qui baptizatos domi ab obstericibus, postea rebaptizant sub conditione: deberent enim inquirere modum facti; et si rite factum constaret, supplere caeremonias. Idem tenet Nauarrus supra. Ratio est; Quia, quando moraliter constat de re ipsa, conditio tanquam impertinens, censetur non apposta, quod ad culpam attinet; unde censetur quasi absolute rebaptizari; quod non est paruum sacrilegium. Quò fit, ut adulti inter Christianos educati, ob nullum scrupulum debeant rebaptizari, etiam sub conditione: ut patet ex Capite *Veniens*. de Presbytero non baptizato; talis enim credendus est baptizatus. Similiter, si vnus testis oculatus, de quo non est ratio dubitandi, affirmet; vt Sotus ait. Vide Concil. Africanum cap. 39. & Can. *Placuit*, de Consecratione dist. 4.

Dico Secundo, Quòdo est probabilis ratio dubitandi de Sacramento, siue dubiù sit facti, siue iuris; & per inquisitionem non potest aliquid certi haberi, debet sub conditione repeti. Patet hoc totum ex Capitulo *De Baptismo & eius effectu*. Ratio est; Quia periculum salutis id postulat; & aliàs nulla fit iniuria Sacramento. Nam periculum salutis, & conditio apposta censetur omnem irreuerentiam excludere.

ARTICVLVS X.

Vtrum Ritus, quo Ecclesia in baptizando vitur, sit conueniens.

De hoc infra quaest. 71.

ARTICVLVS XI.

Vtrum conuenienter describantur tria Baptismata?

Respondetur; Tria esse baptismata, *Aqua, Flamini, & Sanguinis*. Est communis Doctorum in 4. dist. 4.

Notandum, Proprie vnicum esse Baptismum, scilicet *Aqua*. Ad Ephesios 4. v. 5. *Vna fides, vnum Baptisma*. Reliqua duo per Metaphoram sic appellari ratione esse debent, quia vicem baptismi aquae interdù supplent, & peccatum originale abluunt. Baptismum *Flamini* aliquando supplere vicem baptismi aquae, ostenditur infra. Nunc pauca de Baptismo *Sanguinis* dicenda. De quo

Notandum Primò, Martyrium vocari Baptismum *Sanguinis*: non quòd vnà cum sanguine ef-

fluat aqua; qua Martyres baptizentur; aut quòd oporteat re ipsa sanguinem effundere, vt quidam voluerunt (contra quos Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 7.) sed quòd plerumque sanguis effundi soleat. Qui tamen laqueo vel igne perimitur, vel aquis mergitur propter Christum, verè accipit baptismum *Sanguinis*, si antea baptizatus non erat. Quòd addo, Quia martyrium non habet rationem baptismi, nisi quando eius vicem supplet.

Notandum Secundò, Martyrium non esse Sacramentum, contra Ioannem Maiorem. Quia non est remedium ordinarium ad nostram sanctificationem institutum, neque caeremonia ad Deum colendum: quorum vtrumque ad rationem Sacramenti requiritur.

DVBIVM I.

Vtrum Infantes sanctificentur Baptismo Sanguinis, seu Martyrio?

Alexander Alensis 4. par. qu. 2. membro 5. docet Baptismum *Sanguinis* solis adultis prodesse. Idem sentire videtur Richardus Armacanus lib. 8. qq. Armeniacarum cap. 37. & Adrianus quaest. de Baptismo art. 5. ubi dicit, non esse certum, infantes illos, qui ab Herode occisi sunt, esse saluatos, si qui antea circumcisi non fuerant; piè tamen id credi. Verùm certò tenendum infantes hoc Baptismo sanctificari, & salutem aeternam consequi. Contrarium temeritatis notam meretur.

Probatur Primò, Ex consensu totius Ecclesiae, quae iam inde à temporibus Apostolorum celebrat festum *Innocentium*; non quia circumcisi (sic enim potiori iure deberet celebrari festum infantium qui nunc moriuntur post Baptismum) sed quia Martyres. Confirmatur; Quia vocat eos Martyres Ecclesia, & officio Martyrum honorat; quod non faceret, nisi ex Apostolica traditione constaret verè tales esse.

Probatur Secundò, Ex Patribus. Origenes homilia 3. in varios locos Euangelij, Horum memoria semper, vt dignum est, in Ecclesia celebratur, vt primorum Martyrum pro Domino occisorum. D. Augustinus lib. 3. de libero Arbitrio cap. 23. dicit Ecclesiam eos in honorem Martyrum receptos venerari. Idem expressè Leo sermone 1. de Epiphania: *Quibus Christus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam Martyrij tribuit dignitatem*. Et serm. 2. ait, *Etatem illam aptam fuisse Martyrio*. Omitto alios Patres in homilijs de Innocentibus. Vide Bernardum sermone de Innocentibus & Epistola 77. ad Hugonem. Ratio praecipua est diuina voluntas. Congruentia est; Quia decebat, vt illi, qui propter Christum occiduntur, mortis eius maximè essent participes: nam maximè Christo pro nobis morienti assimilantur, à quo omnis nostra sanctificatio manat. Videtur tamen martyrium habuisse hoc priuilegium etiam ante incarnationem: Nam Patres simili modo extollunt Martyrium Machabæorum; vt patet ex Nazianzeno. Dices; Concilium Tridentinum sessione 7. can. 4. affirmat Baptismum omnibus ad salutem esse necessarium, vel re ipsa, vel in voto: Atqui infantes illi neutrum habent: ergo non possunt saluari. Respondeo; Concilium loquitur extra casum Martyrij: agit enim de remedijs ad

D d d iij primam

Cur Martyrium dicatur Baptismus Sanguinis.

Cur Martyrium nõ sit Sacramentum.

Opinio negans est temeraria.

Sententia affirmans ex consensu Ecclesiae.

Congruentia.

41
Baptizari ab obstericibus, non debent sub conditione rebaptizari.

Si scrupulosus.

Si vnus testis.

42
Proprie tantum vnicum baptismum, aquae scilicet.